



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

7 De Desolationis effectis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

malignas molestias, serupulos, tristitias, rati-  
ones falsas, & alias id genus persecutiones, quo-  
bus profectum illum impediatur. Occultè de-  
inde procurat in Proficiētibus prætectu boni  
finis, non veri, sed apparentis. De qua re i-  
dem Pater sic scribit Quoties cōtingit aliqua  
suggestione deprehendi hostem ex cauda sua  
serpentina, id est, sine malo, quem nobis sem-  
per insinuare studet, tunc plurimum iuuat re-  
uoluerè discursum totum, & notare, quid ab  
initio prætulerit bona cogitationis, & quo-  
modo pracedentem spirituali gustus suauita-  
tem, animoq; serenitatem sensim amouere, ac  
venenum suum infundere tentarit.

TERTIA causa desolationum est ange-  
lus bonus, maximè in hominibus peccato-  
ribus, & malæ vitæ, Illis, inquit idem Pater,  
qui facile peccant lethaliter, & peccatum pec-  
cato addunt, spiritus bonus conscientiam prun-  
git assidue, & per synderesis rationisq; officia  
a peccando deterrere.

### De Desolationis effectis.

#### CAP. VII

PRIMVS effectus Desolationis est, quem  
describit S. Bonauent. Tentatio, inquit,  
deuotorum maximè tempore desolationis esse  
basitare, quod gratia consolationis non sit à  
Deo,

Tom. de  
proc. vit.  
relig. c. 21.

Deo, sed à seipso naturalibus conatibus procedens, vel à damone ad illudendum immissa. Et addit. Horum typum gerunt Apostoli, qui tempore passionis Christi adeò obscurati sunt fide, et iam fere dissentirent ab his, quae crederant. Vnde qui ibant in Emmaus dicebant. Nos sperabamus, &c. Solet autem, vt habet B. P. Ignatius, Sophisticis argumētis quibusdam veri speciem pra se ferentibus latissimam illam in anima repletam impugnare.

SECUNDVS effectus est excitare gra-  
uissimas quasq; tentationes, vt de fide, de  
blasphemia, de desperatione, quod à Deo  
non ametur, quod opera sua sint Deo in-  
grata, quod non poterit perseuerare in bo-  
norum operū exercitatione, quod iam re-  
probus sit & damnatus. deinde iniicere co-  
gitationes monstrosas. & horribiles, quales  
*Psal. 103.* David descripsit videtur, dum ait. *Posuisti  
tenebras, & facta est nox. in ipsa pertrāsibunt  
omnes bestiae siluae. Catuli leonum rugientes et  
rapiant, & quarant à Deo escam sibi.* Itaque  
videntur sibi videre omnes inferni damo-  
nes catenis ferreis solutos vt ipsos desola-  
tos deuorent.

Si quæras, vnde nascantur cogitationes  
tam monstrosæ & horrendæ? ab animone  
desolato, an à damone? Respondeo, nasci  
posse

MEDITANDI PARS III. 495.

posse ab vtrifq;. Quod enim à nobis non-  
 nunquam oriantur, inde liquet, q̄ Christus *Matt. 9.*  
 apud Matthæū dixerit Phariseis. *Quid cogi-*  
*tatis mala in cordib. Vestris?* Quod verò à dæ-  
 mone, patet ex cogitatione diabolica Iudæ  
 de p̄dendo Christo: nā S. Ioannes dicit. *Cum Ioan. 13.*  
*diabolus iam misisset in cor, & traderet eñ Iu-*  
*das.* Si rursū scisciteris, vnde dignosci queat,  
 ab vtro profectæ sint? Respōdeo cum S. Ber-  
 nardo, id admodum difficile esse cognitu,  
 immo quasi impossibile, nisi ab eo qui Spi-  
 ritus sancti dono, quod Apostolus vocat,  
*Discretionem spirituum,* præditus sit, *Quam- 1. Cor. 12.*  
*libet enim, inquit, quis omni custodia ser-*  
*uet cor suum, & omnia qua intra se mouētur,*  
*vigilantissima intetione obseruet, etiam si diu-*  
*turnum forte in his habuerit exercitium, &*  
*frequens experimentum: non poterit tamen ad-*  
*purum in se dignoscere, discernereue ad inuicē*  
*malum innatum & malum seminatum. Et*  
*concludit. Nec multum refert nostra scire,*  
*unde inest nobis malum, dummodo inesse scia-*  
*tur. Vigilandum potius, & orandum vnde*  
*unq; sit, ne consentiamus.*

De remediis contra Desolationem.

C A P. VIII.

**R**EMEDIORVM duo genera adsignabo.  
 vnum erit de rebus agendis, alterum de  
 fugi-